

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



  
DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio Trigesima*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente*

JOHANNÉ GLADIO

Soltquell. Marchico.

IN FESTO PENTECOSTES

A. O. R. clb. Inc. IIII.




HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-*

*schlegely*

11  
Dns U



VIRIS

ECCLESIAE PATRIAE ANTISTI-  
TIBUS

*Reverenda dignitatis prerogativa, doctrinae  
nobilitate, virtutum splendore vitaeq; San-  
ctimonia conspicuis*

DN. M. DANIELI BLUMENTHALIO  
Ecclesiae Patriae Archidiacono & Inspecto-  
ri vigilantissimo, Praeceptorum ut meri-  
tissimo, ita amantissimo

DN. THOMAE HOLLMANNO  
Ecclesiae ejusdem Diacono fidelissimo, con-  
fessionario dilectissimo.

*Evergetis meis jugiter suspiciendis*

*Antipelargosews & studiorum ulteriorisq;  
spei indicium, θεολογικὸν ἔσχημα  
ut Theologis*

faciat

RESPONDENS.



ANALYSIS  
 EVANGELII  
 IN FESTO PENTECOSTES

Johann. 14. v. 23.

ANTELOGIUM.

**Q**uinquagesimus annus,  
 inquit Cyprianus in Serm.  
 de Spiritu Sancto, perficit iubilae-  
 um Levit. 25, 10. quinquagesimus  
 dies Paschatos facit Pentecostes iubilum, in quo  
 verè Spiritu Sancto infuso in Apostolos in  
 hereditatem cœlestem p̄i revertuntur, quem-  
 admodum illic reversionis in terram promif-  
 sam recordabantur. Et uti DEUS de cœlo de-  
 scensusurus legemq; promulgaturus dixit Moysi  
 Exod. 19. 9. vade ad populum, & sanctifica  
 illum hodie, laventq; vestimenta sua &c. ita  
 jubemur etiam nū, ad suscipiendum hospitem

¶¶¶

alla-

allaturñ Evangelium, nos preparare & sanctifi-  
care quo introeat. Rex gloria libentissimè. Idq;  
ostenditur etiam in pericope Evangelica, in  
quà habetur.

### THESIS I.

**P**artim digna præparatio, ubi occurrit  
tumtheticè sermonis divini observa-  
tio v. 23. in quo antecedens, continens sub-  
jectum conditionatum: Si quis. Vbi, si ante-  
cedentia respicimus, respondet questioni Jude  
Lebbai, & sub ipsius persona omnibus discipu-  
lis reliquis, quorum nomine Judas interroga-  
verat, cur se discipulis solum & non mundo ma-  
nifestaturus sit, cum tamen omnibus promissus  
sit? de patefactione tamen speciali & maximè  
gratiosa, non de generali, ideoq; nō omnis intel-  
ligitur, inquit August. Tract. 66. in Joh.

2. Et prædicatum: diliget me. Per  
quod *πῆλωπιξῶς* potissimum quidem fides  
intelligitur, sed quæ per dilectionem operatur:  
ut constet non esse sermonem de fide hypocriti-  
ca, sed de fide vera & salvifica, quæ manifesta-  
tur & quæ per dilectionem operatur: siquidem  
sine fide nemo Christum diligere potest. Vn-  
de qui mente integra desiderat Deum pro-  
fecto

profecto jam habet. inquit Gregor. Homil. 30.  
 super Evang. quem amat: neq; enim quisquam  
 posset diligere Deum, si eum, quem diligit, non  
 haberet. Diligendus igitur est DEUS ut ac-  
 cipiatur S. Sanctus. Sed diligendus super o-  
 mnia ne ipsi preferamus terrestria 1. Joh. 2, 15.  
 per omnia, ut non tantum ipsum DEVM, sed  
 & ejus membra diligamus 1. Joh. 4, 11.

3. Consequens; ab effectu respicit  
 tum officium eorū, qui Christum diligunt:  
 Sermonem meum servabit. Hoc est, am-  
 plebatur Evangelium meum, idq; purum reci-  
 nebit: uti patet ex numeri Singul. observatio-  
 nem non, quemadmodum quidam cod. habent  
 praecepta recenset, uti supra, sed sermonem in  
 Singul. quemadmodum & Syrus legit. Ergo  
 in sensu principaliter intento non loquitur de  
 omnibus, sed de sermone suo propter cujus ma-  
 nifestationem à patre in hunc mundum mis-  
 sus erat Joh. 1, 18. 2. etiam patet ex scopi con-  
 sideratione, ubi exponere causam voluit, qui  
 fiat qd non sit receptū Evangelii, dum salutaris  
 manifestatio non contingit nisi per verbum  
 Evangelii Gal. 3, 2. & 3. ex ipsius Christi ex-  
 plicatione, Joh. 17, 6. Christus dicit: mani-  
 festavi nomen tuum hominibus & sermonem  
 tuum servaverunt id quod v. 8. explicat: cre-

diderunt quia tu me misisti 4. ex emphaticā  
 pronominis additione, dum inquit sermo-  
 nem meum servabit: qui est sermo Evangelii  
 Joh. 1, 17. 5. ex loci paralleli collatione Joh.  
 8, 51. & deniq; ex subiecta promissione, dum  
 Evangelium est medium per quod specialis di-  
 lectionis & gratiose inhabitationis participes  
 reddimur Gal. 3, 2. Eph. 3, 17. Quod si ta-  
 men quis omnia, quae docuit Christus, intelli-  
 gere velit, tunc ostenditur, non tantum medium,  
 sed conditio & qualitas objecti. Per quod non  
 intelligendum illud servare *νομιμῶς* de perfe-  
 cta & absoluta Christi sermonis observatione,  
 sed *εὐαγγελικῶς* de inchoata obedientia,  
 quam Deus propter Christum in credentibus  
 acceptat: siquidem probatio dilectionis est ex-  
 hibitio operis, habet Gregor. d. 1. ita perfectus  
 est pietatis alumnus, qui fide & operatione in  
 Christo vivere creditur ait Cyrill. l. 10. in Joh.  
 c. 1. Serva igitur mandata Creatoris tui, serva  
 mandata Benefactoris tui, monet Bernh. serm.  
 14. in Psalm. Qui habitat. Et cum præ-  
 ceptum eius sit ut diligamus nos invicem: ideoq;  
 qui etiam non amat proximum suum, præce-  
 ptum non servat, neq; ipsum Dominum dili-  
 gere potest, ait Maxim. cent. 1. Sent. 16. Nemo  
 autem de impossibilitate se excuset: equidem  
 Deum



Deum diligo, sed gravitatem mandatorum eius ferre non valeo: quia talis peccat dupliciter tum quia accusat Deum de crudelitate dicens: Eum tale dedisse mandatum, quod homo non valeat implere; tum quia mentitur se non posse quod ipse potest, inquit Rudolph. Ard. Licet non consummative, tamen inchoative; licet non legaliter & extra Christum, tamen Evangelice & in Christo.

4. Tum est beneficium, commune: Et Pater meo diligit eum. Non quasi dilectione nostra dilectionem Dei promereamur, nam ipse dilexit nos cum adhuc essemus inimici Rom. 5, 6. 1. Joh. 4, 10. Intelligendum igitur de nota veri Christiani renati, ut cognoscamus magnum esse beneficium à DEO diligi: nam illis peccata remittit, illos in Filios adoptat, illis Spiritum donat, illorum preces exaudit, in illis dona Spiritus auget, illos glorificat. Neque Dei dilectio simulata est & hypocritica, non est temporalis, sed aeterna Jer. 13, 3.

5. Speciale, est tum praesentia: ad eum veniemus. Nempe Pater, Filius & S. S. Loquitur enim in plur. Ergo & se loquentem & Patrem, cuius proxime precedente membro mentionem fecit, intelligit, neque excludit S. S. uti suo verbis: Pater meus diligit, se ipsum non excludit: siquidem S. S. est unius essentia cum Patre & Filio

substantialis Patris ac Filii amor. Unde, inquit Athanas. in Epist. ad seqq. omnia quae Patris sunt, Filii sunt: ideo quae à Filio in S. S. dantur, Patris doneria Spiritus, qui est in nobis unaq; & Verbum, quod haec muneratur in nobis est, & in ipso Pater est. Atq; ita se habet illud dictum: Veniemus Pater & Ego & mansionem apud eum faciemus: ubi enim lux, ibi radius: & ubi radius, ubi ejus vis & operatio & lucida gratia: Certè loquente Christo: Veniemus Ego & Pater, una & intrat S. S. Et non aliter quàm Filius in nobis habitaturus. Praeterea in precedentibus & sequentibus adventum S. S. expressis verbis promisit v. 16, 17. simulq; mansurus cum ipso aeternum dixit. Ergò non excluditur S. S. quando Deus Pater & Filius veniunt ad nos, dum venimus ad eos. Veniunt docendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus accipiendo, uti ait August. tract. 76. in Joh. Loquitur enim de Spiritualis & mystico adventu, quo Pater & Filius per S. S. missionem veniunt in corda credentium & mansionem apud illos faciunt, uti patet ex adventus descriptione, dum dicuntur venturi ex proximè precedente promissione & ex oppositione. Non verò intelligendum est de novissi-

mo ad iudicium adventu, cum Pater cum Filio, tunc non dicitur adventurus: nisi secundario & consequenter intelligatur, uti illud de manifestatione per gratiam in hac vita, ita etiam de manifestatione per gloriam in vita futura: Loquiturq; Christus per quandam  $\sigma\upsilon\chi\alpha\tau\acute{\alpha}\lambda\alpha\sigma\iota\upsilon$ : Veniunt enim atq; abeunt proprio & incomprehensibili modo Pater & Filius & S. S. neq; tamen localiter aut Pater aut Filius aut S. S. movetur. Noverunt sic venire & abire, ut neq; ad locum localiter veniant, neq; de loco localiter discedant. Hic adventus Patris & Filii & S. S. non mobilitatem, sed pietatem DEI venientis ostendit: habet Fulgent. l. 2. ad Thrasimundum, cap. X.

6. Tum permanentia: Et mansionem apud eum faciemus. Non per operationem tantum, sed per continuationem & efficaciam presentie, quam Pater, Filius & S. S. ad nos veniendo declarant. Qui vero experiri cupit, an in ipso Deus habitet & maneat, inquit LEO in Solenn. Epiph. c. 2. sincero examine cordis sui serio interiora excutiat, & sagaciter querat, qua humilitate resistat superbia qua benevolentia obluetur invidia, quam non capiatur adulantium linguis, quamq; bonis delectetur alienis, an pro malo cupiat malum.

reddere, malitq; in ultas oblivisci injurias quam imaginem sui conditoris amittere. Ac ne in multis laboret sollicita discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium caritatem in secretis sua mentis inquirat. Et si in ea dilectionem DEI & proximi toto corde intentè reperit, ita ut inimicis etiam eadem velit tribui, que sibi optat impendi; quisquis hujusmodi est & DEVM rectorem & habitatorem sui esse non dubitet. Preparemus itaq; hanc domum, inquit August. 185. serm. de Temp. quotidie ad sacri regis adventum, eamq; diversis probabilium floribus adornemus: Repleamus jucundis preciosisq; odoribus castitatis, fidei & compunctionis incenso, benivolentia balsamo & thymiamate caritatis: ut amputatis vitiis & virtutibus insertis, destructa in nobis habitatione Diaboli, mutemur in templum DEI: ut tam beatus hospes nitido delectetur hospitio & stabilem ac perpetuam in nobis faciat mansionem.

7. Antitheticè, est non diligentis sermonis aspernatio v. 24. in quo directè quoad causam: qui nō diligit me. Vbi causas explicat propter quas mundo se manifestare nolit; odium allegat, ut ostendat dilectionem non tam notam esse quam impellentem rationem; nunquam enim est amor DE lotiosus: oper-

ratur.

ratur enim magna, si est, si verò operari renuit  
amor non est, ait Gregor. Homil. 30. super  
h. l.

8. Et effectus absolute: sermonem  
meum nō servat. Significans justo Dei iudicio  
aut consequente seu iudiciaria voluntate qui-  
busdam hoc contingere, ut à salutarì ista ma-  
nifestatione maneant exclusi: eorū ipso exhor-  
tatur ut servent sermonem suum. Ac confir-  
mat ipsos ne exemplo mundi Evangelium re-  
pudiantis ac persequentis ab eius confessione se  
abduci patiantur: neq; enim Deus illos speciali  
sua dilectione, nec gratiosa inhibitione digna-  
tur Osee 5, 6. Johis, 6. Quomodo enim ser-  
monem Christi servaret is, qui non diligit?  
Quodquod igitur verbum repudiant illi non  
sunt Trinitatis templa.

9. Indirectè, ubi subjectum absolu-  
tè: Sermo. Hoc est Evangelium: Redditur  
enim ratio ut non intelligatur sermo ἡ ἀκούσιος  
ἡ ἀκούσιος, sed πρὸς ἡ ἀκούσιος ἡ ἀκούσιος,  
uti patet ex anteced. & conseq. potissimum de  
doctrina Evangelii, propter quam hominibus  
manifestandam in mundum missus: cum ea,  
quæ ad legem pertinent partim per naturam,  
partim ex Moysis scriptis fuerint jam ante  
nota.

10. Limitatè: quæ audistis. *Quæ vocabula omninò ostendunt de Evangelio esse intelligendum, illud enim audiverunt.*

11. Prædicatum negativè: Non est meus. *Non in quantum verbum, aut Deus, sed in quantum servi formam habebat hoc dictum est, habet Cyrillus 10. in Joh. c. 8. Non enim humanum vult hunc sermonem videri, sed divinum & regium. Deinde negatio sepe ponitur pro comparatione & partic: Non pro non solum 1. Sam. 8, 7. Marc. 9, 37. quod non solum suus, sed & Patris, à quo missus: id quod evidenter patet ex eo, quod Christus paulò ante, doctrinam à se ante prædicatam vocabat. Negas ergò suum sermonem esse ut auctoritatem doctrine sue efficaciter asserat, ut ostendas causam quare doctrina illa sit fide amplectenda & constanter retinenda. Vtq; discamus contemptum doctrine Christi in Patrem redundare Luc. 10, 16. Joh. 12, 48. Nam alias omnia, quæ Pater habet mea sunt, inquit Joh. 16. 15. Ita ex sensu Judæorum loquitur.*

12. Affirmativè: sed eius, qui misit me Patris. *Id est, ipsius Patris, nec alterius hæc Evangelica est prædicatio, quæ non nuper inventa est sed in tempore oportuno ab involucribus futurorum evolvitur: qui enim per me ipsum*

psum locutus est, is etiam nunc ad vos hac loquitur: ut sciant servantes mandata sua, qui ipsi crediderunt, DEVM honorare, contra etiam non servantes, sciant se peccare: Cyrill. l. 10. in Joh. c. 5. Neq; enim Christus venit in nomine suo, sed à Patre cœlesti legatus, tum ad docendum propter ignorantiam nostram, tum ad redimendum propter miseriam nostram.

13. Et benefici hospitis remuneratione, in genere, temporis notatio v. 25. in quo effectus per causam efficientem: Hæc locutus sum vobis. Vbi per hæc non solum intelligit proxime præcedentes sermones in cœnaculo habitos, sed præterea omnes illos quos toto ministerii tempore proposuerat: quia Thomas, Philippus & Judas ipso facto ostenderant se non assequi mysteriorum profunditatem: ideoq; revocat eos ad promissam. S. S. missionem.

14. Etâ fine præsentis, est status: apud vos manens. Verbum incarnatum & manet & redit, habet Greg. Hom. 3. super Evangel. Recedit corpore, manet divinitate apud eos. Ergò tunc mansisse se perhibet, quia hic quibus invisibili potestate semper præsens erat corporali jam visione recedebat, Atq; ita opponit mansionem transitoriam mansioni Patris & S. S. Alia mansio est, quam promisit futuram

turam, has verò alia, quam presentem esse testatur. Illa Spiritualis est ac intrinsecus mentibus redditur: hæc corporalis forinsecus oculis & auribus exhibetur: illa in æternum beatificat liberatos, hæc in tempore visitat liberandos: secundum illam Dominus à dilectoribus non recedit, secundum hæc recedit & redit, habeo August. Tract 77. in Ioh.

15. Et Spiritus Sancti operatio, ubi est in genere ejusdem informatio v. 26. in quo antecedens continens appellationem ratione officii & curæ: Paracletus. *Quæ vox consolatorem denotat & advocatum, quod etiam ita interpretatur Gregor. Hom. 30. dum inquit: quod Græca locutio πνευματικός Latin. consolator vel advocatus dicitur: qui idcirco advocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud justitiam Patris intervenit: Consolator verò quia de peccati perpetratione inærentibus, dum spem veniæ preparat, ab afflictione tristitiæ mentem levat. Quem supra & aliam Paraclatum nominavit, non juxta naturæ differentiam, sed operationis diversitatem. Cum enim Salvator Mediatoris & Legati personam habeat ex qua pontifex deprecetur pro peccatis nostris Hebr. 7, 25. S. S. secundum aliam significationem Paracletus ab eo, quod*  
 conso-



consolatur in tristitia positos, nuncupatus est.  
 Verum noli, addit Didym. l. 2. de S. S. ex Fi-  
 lij & S. S. operatione diversa varias estimare  
 naturas: nam & Deus Pater consolator dicitur  
 2. Corinth. 1, 3. Atq; ita Sacra Scriptura lo-  
 quitur, quae istos divinos actus non differentia  
 potestatum, sed operum ineffabilitate metitur:  
 habet Augustinus l. de Trin. & Unit. Dei  
 cap. 10.

16. Et ratione naturae: tum, qui est  
 Spiritus. Et quamvis nomen spiritus vari-  
 as obtineat significationes, etiam pro donis u-  
 surpetur, tamen h. l. ipsa persona intelligitur:  
 Vocaturq; Spiritus 1. ratione essentiae, quia est  
 Spirituales 2. ratione efficientiae, quia spiritua-  
 les cordis motus in nobis efficit; unde non habi-  
 rat in corpore subdito peccatis Sap. 1, 4.

17. Tum, Sanctus. Id quod iterum  
 ratione essentiae intelligendum, quia essentiali-  
 ter est ipsa sanctitas 2. ratione differentiae, quia  
 est Spiritus sanctificans Rom. 1, 4. & quam-  
 vis Pater Sanctus, Filius Sanctus, tamen Spiri-  
 tus peculiariter dicitur Sanctus Bernh. serm. 3.  
 Pentec. quia est donum Patris & Filii omnino  
 sanctificans creaturam.

18. Et legatio, quoad principalem  
 causam: quem mittit Pater. Vbi articulus

masculinus est, & vel respicit vocabulum Paracletus, vel constructio ad sensum refertur, qualis etiam alibi reperitur Matth. 28. 16. Rom. 2. 26. Rom. 9. 23. 1. Corinth. 12, 2. Gal. 23, 16. ut insinuetur S. S. personalitas. Et dicitur quem Pater mittet; Ergo à Patre expectandum promittitur hoc donum, non excludendo Filium, siquidem duo sunt unde procedit, inquit, Bernh. Serm. 1. in Pentec.

19. Tum causa meritoria: in nomine meo. Ubi ostenditur, inquit August. quod nec pater sine Filio, nec Filius sine Patre miserint S. S. sed eum pariter ambo miserint. Unde Cyrill. l. 10. in Joh. c. 6. in nomine suo h. e. per se ipsum, est enim Spiritus Filii; significaturq; quod suo merito & efficaci intercessione impetraturus sit S. S. Et sic impleta est, habet August. Serm. 184. de temp. promissio Salvatoris: ascendit Iesus Christus, descendit Spiritus S. super est ut utrumq; hoc impleatur in vobis, id est, ut habeatis Spiritum S. qui descendit, & per bonam vitam Christum sequamini, qui ascendit. Hic quanta & quam ineffabilis pietas sit Redemptoris intelligitur! hominem portavit ad caelum & Deum misit ad terras! quanta est auctori cura pro instauratione factura sua! Ecce iterum infirmos suos per se ipsum majestas visitare

rare dignatur / Ecce iterum divina humanis  
 miscentur. Id est vicarius Redemptoris, ut  
 beneficia, qua Salvator inchoavit peculiari  
 S.S. virtute cōsummet & quod ille redemit, iste  
 sanctificet, quod ille acquisivit, hic custodiat;  
 ac sic unitas Deitatis per unitatem gratie &  
 muneris approbatur habet August. serm. 185.  
 de Tempore.

20. Consequens continet effectum  
 & quidem quoad ea, quæ nondum docue-  
 rat: ille vos docebit omnia. Ubi in quibusdā  
 Cod. legitur *πῶτα*, sed probatissimi Cod. legunt  
*πῶτα* & sicut & Syrus habet. Sic ergo spiritus docet  
 omnia, sed omnia quæ pertinent ad tuam salu-  
 tem, inquit Bernh. serm. 2. in Pentec. Atq;  
 ita ut nil novi sit propositurus, quemadmodum  
 ex sequentibus patet. Rogandus itaq; ut &  
 nos doceat: siquidem S.S., inquit August. de  
 Civit. DEI. l. II. c. 25. non solum ut simus  
 autor, sed ut vera sapiamus Doctor. Et à S.S.,  
 addit Leo serm. 1. Pentec. est invocatio Patris;  
 ab ipso sunt lacrymæ invocantium; ab ipso sunt  
 gemitus supplicantium, per quem omnis Ecclesia  
 sanctificatur, omnis anima rationalis imbui-  
 tur; inspirator fidei, Doctor scientiæ, fons di-  
 lectionis, signaculum castitatis, & totius causa

virtutis. Docet autem per scripturas omnia, docet per expositionem scripturarum omnia habet Didyn. Alexander. Idq; prestat non solum per intellectus illuminationem, sed etiam per voluntatis ad bonum inflammationem, & totius hominis sanctificationem.

21. Quoad ea, quæ nondum satis intellexerāt, absolute: suggeret vobis omnia. Id est faciet recordari, inq; memoriā revocari, ut explicat Theophyl. Atq; ita ad faciendum bonum Spiritus Sanctus in nobis operatur bonum: profecto monet, movet & docet. Monet ne moriar, rationem docet, movet voluntatem, habet Bernh. serm. 1. Pentec.

22. Limitate: quæcunq; dixi vobis. Quia est talis Doctor, q; nil novi proponit, quod non prius à Christo traditum vel quod à doctrina Christi alienum. Idq; patet 1. ex antegressa Christi informatione Joh. 15, 15. dum omnia discipulos docuerat 2. ex promissionis repetitione Joh. 16, 13. quia non loquetur de semet ipso 3. ex ipsius rei consideratione, dum S. S. non in novorū articulorum fidei revelatione, sed eorū, quæ à Christo prius tradita, explicatione & oblivioni datorū commonefactione occupatur. Ut discam9 ad docendi in Ecclesia officium requiri cognitionem eorū, quæ sunt proponenda:  
pro-

promittit enim Christus Spiritum, qui doceat omnia, & impleat S. S. organon suum, tanquam filicordarum tangit digitus Dei corda suorum, habet Prosp. in Epist. ad Demon.

23. Et pacis donatio v. 27. in quo de eadē propositio, affirmativè, quoad pacem veram divinam respectu abitus, in genere: Pacem relinquo. Per quam non tantum S. S. intelligitur, quem antea promiserat, sed & S. S. promissi fructus intelligunturq; omnis generis bona qua pacis nomine veniunt, ut sit cōcordia inter illos, qualis antea fuit. Si enim Filij Dei sumus, pacifici esse debemus; nec enim poterit ad hereditatē Domini pvenire, inquit Aug. serm. 37. de Verbis Dom. q. testamentū pacis noluerit servare. Neq; potest concordiam habere cū Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano: simulq; etiam pacem cum Deo, quam Christus per suum ad Patrem aditum promeruit, dum recōciliati sumus per mortem Filii Rom. 5. 10. 2. Cor. 5. 18. & 19. Relinquit verò in hoc seculo, in quo pace manente hostem vicimus, inquit August. tract. 77. in Johan. Ergo quid tibi commune est cum discordia Christiane? quid similitates amas, quod pacis auctori placere non potuit? quare aut Christi caritatem amplectere? aut discordia auctori de similitudine

ne operum parem se esse cognosce, habet August. serm. 57. de verb. Dom.

24. In specie obiectum: Vobis. Ut intelligamus primario respici quidem Apostolos, sed etiam omnes Christianos. Quo discamus pacem colere.

25. Respectu futuri seculi, & reditus per *ἡμεῖς* repetit. pacem meam do vobis. Ita Augustin. interpretatur Tract. 77. in Joh. pacem, inquit, relinquit nobis Christus in hoc seculo. pacem suam dabit in futuro seculo: pacem relinquit nobis, ut etiam nos invicem diligamus: pacem nobis suam dabit, ubi nunquam dissentire poterimus. Et ita etiam Greg. Hom. 30. explicat. Relinquere est abituari, dare mansuri: ut discamus duplicem esse pacem, spiritualem internam caelestem & aeternam: deinde corporalem, mundanam & temporalem. Intelligitur autem hic potissimum interna, uti patet ex pacis descriptione: quia vocat suam pacem: Siquidem Christi est meritorie dum eam promeruit, & distributive quia per verbum & S. S. efficit Rom. 14, 17.

26. Negative comparate quoad pacem mundanam: Non quemadmodum mundus dat, ego do pacem vobis: Quod  
am-

amplificat argumento dissimiliū. quia & di-  
 versum donum est & diversus dandi modus;  
 Mundi enim pax est duntaxat externa, Chri-  
 sti pax interna, mundi pax est corporalis, Chri-  
 sti spiritalis; mundi pax ad homines tantum  
 refertur, Christi pax ad Deum & ad interio-  
 rem hominum conscientiam; mundi pax pellit  
 externa mala, Christi autem radicem omnium  
 malorum per remissionem peccatorum; Mundi  
 pax brevis & instabilis, Christi pax firma &  
 durabilis; mundi pax simulata saepe, Christi  
 pax sincera & solida. Sic mundus optat pacem,  
 sed dare non potest: Christus dat, quem admo-  
 dum etiam Apostolis dedit post resurrectionem  
 ubi, pax vobis, annuntiavit Joh. 21, 16. Misere  
 ergo sunt, qui mundanam tantum pacem qua-  
 runt, sed illi beati, qui utramq;. Qui vero pacem  
 suscipit Salvatoris inimicitiam, contrahit mun-  
 di, habet August. quaest. ex N. T. quaest. 92.  
 nisi enim discordaverit cum Diabolo, pacem  
 non habebit cum Christo: & mundi pax non  
 docet bonam vitam, non suadet ad poenitenti-  
 am, non provocat ad justitiam, non hortatur  
 ad misericordiam, non promittit aeternam vi-  
 tam. Quisunq; vero acceperit pacem Christi,  
 alienus erit a vitiis hujus mundi, qua militant  
 adversus animam.

27. Tum est adhortatio, quoad effectum & intellectum: ne turbetur cor vestrum. Nempe propter modo relata ex predictione abitus, & ne tremat intellectus à fidei veritate: quando enim rara & alta dicuntur, ad quae homo non potest assurgere, sequitur turbatio intellectus Luc. 1, 29. uti & interpretatur Alensis.

28. Et quoad affectum: neq; formidet. Hoc est ob ignaviam detrectet pericula; aut eis resistat. Quo infimul veniam ipsis paratam annunciat si humana imbecillitate ipsos labi contingeret: Et turbari & formidare cor illorum poterat, quod ibat ab eis, quamvis venturus ad eos: ne forsan gregem lupus hoc intervallo invaderet pastoris absentia, ait August. tra&. 78. in Johann. Ambros. serm. 8. in Ps. 118. Si te cupiditas appetentiq; tentaverit, lege Evangelium, dicat tibi Iesus Christus: ne turbetur cor tuum: si quis terror ingruerit, dicat tibi Christus, non turbetur cor tuum, neque formidet.

29. In specie, respectu temporis, ubi status permutationis, quoad Christum, est ejus abitus annunciatio v. 28. in quo summum: Audistis quod ego dixi vobis. Atq;  
ita



ita saepius idem repetit, se dicere, & dixisse, ne diffidant.

30. Explicatim, absolutè: vado & venio ad vos. Vbi praesens pro futuro, & simplex pro composito usurpatur, uti apud Hebraeos usitatum. Quasi diceret, opponite dolori gaudium: non enim solum ascensurum me ad Patrem nunciavi, sed reditum rursus polliceor. Hoc modo tanquam studiosissimus & amantissimus Pater si, quum abire aliquorsum cogatur, dolorem & lacrymas conspexerit, rursus emolumenta mœstitia & dolori opponens animos turbatos discipulorum in tranquillitatem reducit, ait Cyril. l. 10. in Ioh. c. 8.

31. Comparatè per ratiocinationem, cujus antecedens: Si dilexeritis me. Non quasi plane non dilectus ab Apostolis, sed quod non ita recto ordine & in gradu perfecto. Diligebant, sed nolebant ipsum pati ac mori: ut insit etiam quedam objurgatio. Diligebant, inquit Bernh. serm. 30. in Cant: & non diligebant. diligebant dulciter, sed minus prudenter; diligebant rationaliter, sed non rationabiliter. Oportet verò illos, qui verè aliquem diligunt non solum suum, sed etiam amici commodum quaerere, habet Cyril. l. 10. in Ioh. c. 9.

32. Consequens: gauderetis utiq; & non doletetis. Amplificat his verbis primariam consolationis suae conclusionem. Docet tantum abesse, ut discipuli justam habeant causam ob abitum suum dolendi, ut propter eam potius gaudere sibiq; gratulari debeant cum abitus ipsis sit gloriosus.

33. Et rationem, summam: quod dixerim vado ad Patrem. Nam hoc ipso parabatur discipulis & S. S. praesentia visibilis & omnia beneficia.

34. Explicatim, illustratur per comparisonem minoris: quia pater major me est. Respectu scilicet humanae naturae: cum enim utrumq; de Christo scriptura asserat, qd sit Patri aequalis, nempe secundum divinitatem Joh. 5, 18. Philipp. 2. 6. & quod Patre minor, ratione humanae naturae intelligendum, uti & Athanas. in Symb. & August. l. 1. de Trin. c. 7. explicat. Illud propter formam Dei, hoc propter formam servi, inquit idem, sine ulla confusione intelligatur, in Dial. ad Theod. quest. 4. in l. 1. de Trin. c. 7. Et eo nomine gaudere debebant, quod Christus ad Patrem vadit, hoc est per passionem & mortem intret in suam & patris gloriam, & quidem secundum assumptam humanam naturam. Deberetis itaq; de hoc abitu vobis

vobis gratulari, quia abitu illo ad Patrem venio, ubi hisce infirmitatibus, quibus circumdandum esse videtis, depositis, paterna gloria, forma servi deposita, consortis reddam. Quin  $\mu\epsilon\acute{\iota}\zeta\omicron\nu$  & nomen non de meliore quantitate, sed etiam de meliore qualitate, seu cōditione intelligi potest, ut Joh. 13. 16 15. 10. exstat. Syrus etiam vocem  $\tau\alpha\beta$  habet quæ & quantitatem & qualitatem denotat.

35. Et adhortatio v. 29. à fine hujus prædictionis desumpto argumento, in quo materia & tempus: & nunc dixi vobis priusquam fiat. Neq; enim hoc referendum ad proximè præcedens, quod Patre minor sit; Sed ad remotius, quod ad Patrem abeat, quod adhuc futurum erat; id quod colligitur ex loco parallelo Joh. 13. 18. ubi a quæ prædicit se à proprio discipulo in mortem traditum iri.

36. Et finalis causa & eventus: ut cum factum fuerit, credatis. Quo complectitur non unum, sed omnia fidei objecta, non de primo fidei initio, sed ejus incremento accipiendum, ut habet August. tract. 79. in Joh. ubi inquit. Credunt hoc non fide nova, sed ad aucta aut certe, cum mortuus esset Christus, defecta, cum resurrexisset refecta: neq; enim cum DEI Filium non & ante credebant, sed cum in illo factum

factum esset, quod ante predixit, fides illa, qua tunc quando illis loquebatur, fuit parva, & cū moreretur, iam pene nulla, & revixit & crevit, uti potest probari ex Joh. 2, 11. Ut discamus fidem etiam habere suos gradus; simulq; cognoscamus verum esse Deum, qui futura contingentia predixit.

37. Quoad discipulos est consolationis argumentum, Christi victoriosa triumphatio v. 30. in quo negativè per declarationem: posthac nō multa loquar vobiscum, Nempe ante passionem & mortem: postea enim per dies 40. de regno Dei multa locutus est Act. 1, 13. quia imminabat hora passionis, quoad visibilē scilicet presentiam, uti exponitur v. 25. nam alias multa post ascensionem cum discipulis locutus est & adhuc hodie per verbum nobiscum loquitur.

38. Per rationem ab effectu, ratione presentiz: venit enim princeps hujus mundi. Hoc est in proximo imminet tempus passionis & mortis, quam Satanas per organa sua curabit: impulerat enim Judam ut magistrum proderet, pōtifices ut de nece cōsultarent. Dicitur verō princeps mundi Diabolus etiam Joh. 12, 13: ratione 1. false gloriationis. 2. ratione operationis 3. ratione spontanea subjectionis 4. ratione per-

*perversa opinionis & s. ratione tyrannica dominationis: nō autem q̄ cœlum & terram possideret, quia omnia evertisset & conturbasset, sed ea, quæ sponte se ei tradunt, inquit Theoph. in h. l. uti & Cyril. l. 15. in Joh. c. 4. explicat. Ut ostendat seculum DE esse, secularia Diaboli Tertull. l. de spectac. c. 18. Et monstret principalem causam impulsivam prodicionis, sicut de Juda dicitur Luc. 22, 3.*

39. Et ratione potentie per contrarium: & in me non habet quicquam. *Vbi copulativa nō ponitur pro addā, uti & Matth. 12, 39. Act. 20, 28. ut ostendat se ob sua peccata aut propria culpa non mori, quia neq̄ cum peccato Deus venerat, neq̄ ejus carnem de peccati propagine Virgo pepererat, ait Aug. tract. 79. in Joh. simulq̄ ostendit se non coactum & invitum mori. Voluntatem Patris implet, non pœnā peccati solvit, August. in Deut. quæ st. 55.*

40. Et eiusdem quoad officium observatio v. 21. in quo per thesin veram mortis suæ causam subiungit, partim dum de sua testatur dilectione, cuius testimonium: Ut cognoscat mundus. *Totus nimirum discat quod princeps mundi nil in ipso iuris habeat.*

41. Et effectum: quod diligo Patrem. Unde etiam vocatur dilectus ille Matth. 17, 5. & unigenitus Joh 1, 14.

42. Et de præstatione: & sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio. Ut ostendat obedientiam suam, & quidem usque ad mortem crucis. Philip 2, 8. dum in aeterno Sacrosanctæ Trinitatis consilio fuit decreta Act. 2, 22. Act. 4, 28. simulque probet se esse verum Deum. Unde Theoph. in h. l. inquit: Dicite Arianista servus si hic est Filius: non dixisset propter dilectionem erga Patrem morior: servus enim non quia diligit Dominum suum facit voluntatem eius sed quia servus est, & timet supplicium. Dominus autem Jesus, quia ut diligens facit voluntatem Dei, non servus est, nec creatura, sed revera Filius implens voluntatem Patris.

43. Et per adhortationem: surgite eamus hinc, in locum certaminis: nempe ut à mensa qui adhuc assidebant surgerent, & ad locum, ubi comprehendendus erat, secum exirent. Licet, ut fieri solet aliquantisper in cœnaculo commoratus & sermonem ex sermone longius traxerit, standoque valedictoriam concionis huius partem absolverit, preces Patri obtulerit, & tum demum extra urbem in montem oliveti abierit. Ut ostendat se non invi-

rum aut coactum mori 1. Et se non timere Diabolum, etiamsi Princeps mundi. 2. ut nos doceret, non quidem temere esse subeunda pericula, sed si vocatio postulet intrepide. Discipulos vero etiam exhortatus fuit ut suo exemplo ad simile obsequium DEO prestandum exhortaretur, 3. Ut testes haberet agonis sui. Denique ut doceret nobis etiam eundum esse, non standum à peioribus ad meliora, à morte ad vitam, ad incorruptibilitatem ab interitu, inquit Cyrill. l. 10. in Ioh. c. 10. & Isid. Epist. 84. l. 4.



## NOTÆ.

I.


**A** Deum veniemus] Considera totius Trinitatis caritatē, erga nos si dilexerimus sermonem ejus; ut discamus, diligere sermonem DEI, si velimus habere in nobis Trinitatis mysterium.

II.

**P** Ater relinquo] Considera Christum reliquere pacem, non mundi; ut discamus pacem querere Christi.

III.

**S**icut mandatum dedit ] Considera  
Christi obedientiam in opere Re-  
demptionis perficiendo; ut discamus pre-  
stare mandata.



### CASUS.

An S. S. detur extra Ecclesiam?

**V**idetur 1. quia Scriptura dixit: Effun-  
dam Spiritum meum super omnem  
carnem Joel. 2, 28.

2. Quia Plato in Phædro testatur  
dari quendam Enthusiasmum, uti & in jure  
habetur de illis. l. 5. C. de Hæret.

3. Poëta inquit:  
Est DEUS in nobis agitante calescimus illo:  
Sedibus æthereis Spiritus iste venit.

Contra 1. datur S. S. non nisi peten-  
tibus in nomine Christi & qui sermonem  
servant.

2. Jura Enthusiasmum improbant &  
Enthusiastas inter hæreticos numerant



l. 5. c. de Heret. c. Nisi cum pridem 10.  
Decretal. Greg. tit. 9. c. placuit 26. di-  
stinct. 1. de consecrat.

Et deniq; *Enthusiasmus*, qui barbarè  
quibusdam vocatur *Anteneismus* est fa-  
natica percussio seu numinis afflatio A *Ætu-*  
ar. l. 1. Medic. c. 16. Zacch. qq. Medico  
Legg. l. 2. tit. 1. q. 18. n. 31. dicunturq; in  
*Jure Fanatici* l. 2. § exempli ff. de edit.  
ed. Prateolus in Elench. Heret. l. 8.  
heres. 12.

Ad contraria 1. sed addit: posthac,  
nempe postquam doctor justitiæ ministerii  
opus confecerit, id est ubi Messias venerit.  
Quod Petrus Act. 2. 17. vocat dies novis-  
simos, uti tempus Messie etiam voca-  
tur Es. 2. 2. 1. Joh. 2. 18. Et super eos effu-  
sum iri asserit, qui recepturi sint verbum  
Dei. S. S. enim non nisi credentibus datur,  
habet August. Et particula omnis restri-  
cte accipienda uti 1. Corinth. 13. 7. Enthu-  
siastæ volunt immediate, in N. T. uti Apo-  
stolis Act. 2. 37. 10. 44. sed est nulla pro-  
missio, quod aliis etiam contingere debeat.

Sed

Et Hebr. 1, 1. dicitur Deus novissimum locutus in Filio.

Ad 11. Distingv. inter bonum Enthusiasmum, uti Hesy ch. definit, quod sit quando anima illuminatur a Deo. Budæ9 annot. in Pand. & Plato lib. 2. de. L. L. & inter malum qui pomposa Spiritus Sancti jactantia de quo 2. Thess. 2, 2. In jure iste inter heresim refertur. 3. Poeta habent raptum, sed naturalem & peculiarem non salutarem, quia vana, fictitia, scurrilia habent, uti ille qui talia scripsit Bal. 1, 3. de Casu Consc.

Quin distingue inter bona administrantia & sanctificantia uti & Melancthon ostendit. Est versiculus intelligendus de generalibus donis & actionibus. Cum impleat omnia Spiritus, alias tantum adest Ecclesie gratiose secundum illud El. 59. 21.



An mundana potestas affectanda?

**N**on videtur 1. quia Christus inquit quod Diabolus princeps hujus mundi Joh. 14, 30.

2. Quia non fuit in statu innocentia  
ria

ria August. l. 19. de C. 4. c. 15. ubi inquit:  
Nomen istud culpa meruit, non natura.

3. Quia non erit in altero seculo, ubi  
evacuabitur omnis principatus & potestas  
1. Corinth. 15, 24.

4. Quia in jure canonico magistra-  
tus mundanus parum estimatur.

Contra 1. Paulus expressè inquit Rom.  
13, 1. omnis potestas est à DEO 1. Petri. 2, 19.

2. Deus ipse summam habet, & Chri-  
stus, inquit: accepi omnem, quæ in cælo &  
terra Matth. 28, 18.

3. Jura agnoscunt non tantum à  
Deo esse c. ne quis 15. qu. 1. c. Non so-  
lum 23. q. 5. c. quo. jure dist. 2. Sed ipse  
summus magistratus fatetur se Dei gladi-  
eum habere l. 1. C. de Vet. jure. Novel.  
37. §. 1. R. 1. de anno 1548 in principio  
Cacheran. decis. 30. n. 5. DE vicariis.  
Thesaur. in præfat. n. 14. Guil. l. 1. obs.  
47. n. 3.

Ad contraria. 1. Falacia Ac-  
cid. non quod sit princeps, seu Domi-  
nus verè verus, sed quia tyrannice sibi  
affectat principatum Cyrill. l. 10. in Joh.

c. II. *Seculum est Dei, secularia sunt Diaboli, inquit Tertul. l. de Spectac. c. 15. Et propterea dicitur hujus mundi, per quae verba intelligit, uti Apostolus ad Gal. 5, 19. tantum vitia, quae mundana sunt, uti adulteriū, superstitio, immunditia, impuritas, idololatria, invidia, ira, lis, simula-tes, emulationes, sectae, homicidia, ebrieta-tes, comestiones.*

Ad. *Petitio Principii: licet enim non talis fuisset, tamen aliqualis, non despo-tica, sed regia, quia fuissent ordines: quia inter angelos sunt principatus & potestates Col. 1, 16. fuisset subjectio filialis, licet non servilis.*

Ad 3. *Fall. causa: non queritur de altero seculo, sed de hoc. Textus loquitur omnem humanam & mundanam evacua-tum iri potestatem, quod verissimum: sed propterea dum mundus durat non tollen-da potestas, aut statuendum quod à Diabo-lo omnis potestas.*

Ad 4. *Fall. Accid. nam de abusu lo-quentur quidam canones, qui autem duri-ores non probantur.*



**S**ermo Dei gladii velut anceps quippe quod affert  
Clades si quis non, quod iubet, omne facit,  
Christus ait: si quis me diligit, inde subinde  
Sermonem fidus servat et ipse meum.  
Diligit hunc meum et Pater et veniemus ad ipsum,  
Sic erit in tali mansio nostra domo.  
Non me, sermonem non servans, diligit: eius  
Est, qui me misit, namque, nec ille meum.  
Hac vobis ut apud vos mansi verba locutus.  
At, qui nunc sequitur, me paracletus erit.  
Spiritus est Sanctus Pater hunc in nomine mittit  
Ipse meo, Vobis Spiritus iste datur.  
Et dixi quaecumque, docebit is omnia: Vobis  
Spiritus ac eadem suggeret ille meus.  
Do vobis pacem, pacem vobisque relinquo,  
Non tamen ut mundus, qui dare vana solet.  
Est mea pax melior: ne sint formidine plena  
Pectora, vos nullus ne crucieturve metus.  
Audistis quod ego dixi: Nunc vado: vicissim  
Nunc venio: Vobis rursus et ista loquar.  
Si me diligeretis, gauderetis, Et quod  
Ad Patrem: quia me major et ipse Pater.  
Talia predico modo: quo cum talia fiant  
Factave cum fuerint, credere quisque queat.  
Non post multa loquar vobiscum: quippe propinqua  
Mundi Rex, in me nil habet ille tamen.

*Ast ut cognoscat mundus, quod diligo Patrem,  
Praesto, mandavit quod Pater ipse mihi.  
Dic igitur, quae facta placent, Tibi Spiritus alme  
Pectus amore flagrans, quae facit, ista placent  
Talia proponit GLADIUS: si talia pergit,  
Non clades GLADIUS sed sacer ipseus erit.*

*ita testatur & precatur*

*CHRISTIANUS GUEINZIUS.*

---

**E**st verus GLADIUS DEI supremi  
Spiritus penetrans reposta cuncta:  
Hic enim GLADIUS retundit omnes  
Insuper sua Sancta iussa habentes  
Et contra hic GLADIUS reservat illos,  
Qui mente accipiunt eum volente,  
Et sedes apud hosce figit una  
Cum Sancto Patre, Filioque Sancto  
Multis ut GLADIUS suis decenter  
Perennem his thesibus probat favorem  
Sancti Flaminis in genus piorum  
Pergas Aöniz decus catervæ  
Gladii continuate eum laborem  
Et mysteria Spiritus sacrati  
Nocturnis manibus velut diurnis  
Probè volveret sic nitescer instar  
Splendentis gladii caput beatum  
Inter cœlicolas per omne tempus.

*JOHANNES DE BROMENIS*

*Havelmontanus.*

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17

EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





